

Heilige ausgeruht haben soll, wie man daselbst auch berichtet, daß er von einer Kanzel gepredigt habe.¹⁾

18. Zu Hardeggen, südlich von Northeim, in der hannoverschen Provinz, erzählt man sich, Bonifatius habe beabsichtigt, ein hier befindliches Götzenbild zu zerstören und sei nur durch die drohende Haltung der umwohnenden Heiden davon abgehalten worden.²⁾

19. Nördlich von Göttingen, fast bei der Eisenbahnstation Kreiensee liegt Gandersheim. Auf dem in der Nähe sich erhebenden Rehberge (Retberge) soll der hl. Bonifatius ein Bild des Götzen Reto zerstört haben.³⁾

De Concordia trinitatis personarum in Deo cum unitate essentiae.

Dissertatio.

Scrpsit Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

1. Sine reali distinctione non potest esse pluralitas, quia in tantum plura sunt, in quantum unum non est aliud; et ubi aliqua est differentia, non potest esse unitas, quia nihil differt a seipso. Cum igitur ex Dei revelatione constet tres esse in divinitate personas, easdemque esse unam essentiam; necesse est ut et ipsae distinguantur realiter, et nulla sit inter eas intrinseca differentia, sed sola distinctio numerica. Ideo S. Hilarius Lib. II de Trin. n. 11 dicit de Patre et Filio: „Non ingeniiti duo, quia natus est ab innato; alter ab altero nihil differens, quia vita viventis in vivo est.“ Et Lib. VII ait n. 20: „Neque aliter potuit aut debuit Filius a Patre distingui, quam ut et natus esse, nec tamen differens doceretur.“ Et n. 39: „Et Pater pater est, et Filius filius est. Sed in his nominibus ac rebus nihil in se novum, nihil diversum, nihilque peregrinum est.“ Similiter S. Anselmus non aliam admittit in personis divinis distinctionem nisi quae consequitur processionem unius ex alia: ait enim in Lib. de proces. Spiritus Sancti cap. VI: „*Est quoque patens, eum (Spiritus Sanctum) per processionem habere esse de Patre, et per hoc alium esse a Patre: sicut Filius non per aliud est a Patre alius, quam per hoc, quia de illo existit. Est igitur Deus de Deo.*“ Quoad personarum vero similitudinem haec de Filio scribit cap. XXII: „Quoniam tamen sic habet esse de Patre ut omnino idipsum sit quod Pater, et unus idemque Deus; sicut solus et simplex Deus non potest esse major vel minor seipso, nec prior nec posterior, nec aliquid in se habet diversum; sic Filius nec prior

1) Böttcher, l. c. 789.

2) Böttcher, l. c. 495.

3) Böttcher, l. c. 778.

nec posterior, nec major nec minor est Patre, nec habet aliquid in se diversum ab eo; sed sicut habet ab illo perfecte esse, ita habet per omnia ab eodem aequale illi et simile, imo idipsum esse.“ Id est, eodem modo quo Deus tamquam unus non differt a seipso, non differt a Patre Filius. Idem docet S. Athanasius dicens (Orat. III contra Arianos, n. 3): „Filius enim in Patre est, quantum licet intelligere, quia totum quod est Filius, hoc naturae Patris proprium est, eo modo quo ex luce splendor, et ex fonte fluvius exoritur, adeo ut qui Filium videt, id quod proprium est Patris, videat.“ Et n. 5: „Perfecta enim similitudo est in Imperatoris imagine, ita ut et is qui imaginem viderit, in ipsa Imperatorem intueatur Cum igitur Filius imago quoque sit Patris, intelligere necesse est divinitatem et proprietatem Patris hoc ipsum esse quod est Filius.“ Porro si aliquid personae intrinsecum proprium Patris esset et non Filii, id est, si aliquam perfectionem Patris non haberet Filius, vel uno modo perfectio esset in Patre et alio modo in Filio, minus recte loqueretur S. Doctor, imo falsum diceret asserendo quod qui Filium videt, id quod proprium est Patris, videt; vel quod divinitas et proprietas Patris id ipsum est quod est Filius: nam haec dicit ad significandam perfectam similitudinem Filii ad Patrem; si autem aliquid ex iis quae habet Pater, non esset in Filio, aut aliter Filius illud haberet quam Pater, secundum hoc inter Patrem et Filium similitudo non esset, sed diversitas; et consequenter falsum esset proprietatem Patris repraesentari in Filio tamquam in imagine. Eandem tradit de personarum similitudine doctrinam S. Cyrillus Alexandrinus, qui Lib. de Sacros. Trinit. cap. VIII de Filio ait: „Quoad omnia similis est Patri, excepta *ingeniti* proprietate.“ Quid autem sit haec proprietas, ibidem declarat dicens de Spiritu Sancto: „Quapropter etiam quaecumque Pater habet, ipsius sunt, excepta *ingeniti* proprietate; quae nec essentiae differentiam, nec dignitatem, sed existentiae modum significat. Haud secus ac Adam, qui ingenuus est (figmentum enim Dei est); et Seth genitus (filius enim Adami est); et Eva ex Adami costa progressa (nam et ipsa non est genita); inter se invicem non natura (quippe homines sunt), sed existentiae modo differunt.“ Quam comparisonem inter personas divinas atque Adamum, Seth et Evam adhibet quoque Damascenus Lib. I de Fide orthodox. cap. 8. Itaque proprietas *ingeniti*, quae competit Deo Patri, comparatur ab his Patribus proprietati *ingeniti* quae competit Adamo: haec autem comparatio admitti non potest secundum exclusionem alterius entis a quo ingenuus dependeat, nam solus Deus est a se; et ideo dicitur de Adamo: *figmentum enim Dei est*; sed intelligi debet secundum quod Deus Pater non procedit ab alia persona divina, sicut Adamus non procedit ab alia persona humana. Iste igitur est existentiae modus in quo juxta S. Cyrillum Deus Pater differt a reliquis personis di-

vinis. Atqui talis existendi modus non importat differentiam intrinsecam inter Patrem et alias personas; nam talis differentia attenditur secundum id quod persona est, non secundum quod est a se aut ab alia. Ergo cum Filius dicitur Patri quoad omnia similis, excepta *ingeniti* proprietate, asseritur similitudo Filii ad Patrem absoluta et omnimoda. Et ideo ipse S. Cyrillus cap. 10 ejusdem libri eandem esse docet, non secus ac S. Anselmus supra citatus, identitatem personae divinae ad seipsam atque ad personam alteram, salva earum distinctione numerica: ait enim: „Quippe unaquaeque ad alteram non minus quam ad seipsam se habet, hoc est, quod unum idemque sunt per omnia Pater et Filius et Spiritus Sanctus: praeterquam quod Pater est ingenitus, Filius genitus, Spiritus Sanctus procedens“; id est, juxta dicta supra de voce *ingeniti*, praeterquam quod Pater existit a se, Filius ex generatione Patris, Spiritus Sanctus ex spiratione Patris et Filii. Damascenus quoque ait loco supra citato: „Omnia quae Pater habet, Filii sunt, hoc uno excepto, quod ingenitus non est“: et similiter S. Hilarius (Lib. de Synodis, n. 47) *Deus innascibilis*, inquit (Filius), *abnegatur, Patre a Filio non naturae nomine, quia nec diversitate substantiae, sed sola innascibilitatis auctoritate discreto*. Circa quam sententiam praeterea notandum est, quod si *patrem esse et filium esse* significarent aliquam intrinsecam differentiam inter personas, dum dicunt Patres Filium esse quoad omnia similem Patri, non possent cum veritate solam innascibilitatem excipere, sed potius excipere deberent paternitatem, cum innascibilitas, ut dictum est, intrinsecam differentiam non importet. Propterea dicit S. Hilarius: „Et Pater pater est, et Filius filius est. Sed in his nominibus ac rebus nihil in se novum, nihil diversum, nihilque peregrinum est.“ Patres quidem docent Patrem et Filium paternitate et filiatione inter se distingui, ut cum ait Damascenus *ibid.*: „Quoniam enim alioqui modo constaret sibi proprietas, si moveretur atque in aliam transiret? Nam si Filius Pater est, Pater sane proprie non est, (unus enim proprie est Pater); ac si Pater Filius est, proprie Filius non est, unus enim proprie Filius est, et unus Spiritus Sanctus“: nec tamen ipse Damascenus nec alii Patres sibi contradicunt asserendo quod Filius quoad omnia similis est Patri, excepta *ingeniti* proprietate: nam Filius habet suam propriam existentiam a generatione Patris, et secundum hoc distinguitur ab eo ut filius vel genitus distinctione numerica tantum, quia esse ab alio, sicut a se esse alium, non importat aliquam inter personas intrinsecam differentiam; et ideo Patres, non obstante distinctione secundum paternitatem et filiationem, a proprietatibus hisce praescindunt, et solam innascibilitatem excipiunt, dum Filium Patri quoad omnia similem esse asserunt; similitudo namque attenditur secundum id quod personae sunt, non secundum processionem unius ab alia.

Innascibilitatem autem ideo excipiunt, quia quamvis intrinsecam differentiam non importat, proprietates tamen est personae primae *characteristica*, ut eam appellat Nazianzenus (Orat. XXIII), secundum modum habendi existentiam; nam personae reliquae existunt consequenter ab operatione productiva, cui operationi praestituitur existentia personae improductae. Nec mirum quod proprietatem hanc Nazianzenus reliquis praeferat personae primae ad dignoscendam per eam personam ipsam: nam de Patris et Filii similitudine dicit Orat. theolog. V: „Neque enim Filio aliquid deest ad hoc, ut sit Pater (nec enim defectus est filiatio); nec propterea tamen Pater est.“ Quid enim haec sibi volunt, nisi quod Filius habet id per quod Pater est pater, et nihilominus pater non est, quia unice generationis quae intra Deum possibilis est, terminus est, non principium? Si autem perfectio per quam Pater generat seu pater est, non esset in Filio *in sensu formali*, ut ajunt, sed tantum *in sensu identico*, et secundum hanc diversitatem Pater et Filius distinguerentur ab invicem tamquam pater et filius; falsa esset Nazianzeni sententia; nam in hac hypothesis ad summum dicere liceret: *nihil deest Filio ad hoc, ut sit perfectus Deus sicut Pater*; nequaquam vero, *ad hoc, ut sit Pater*. Nihil ergo deest Filio ad hoc, ut sit Pater, quia patrem esse vel filium non pertinet ad id quod persona est, ut docet S. Augustinus (in Ps. LXVIII, n. 5) dicens de Patre: „Cum autem Pater est, non illud est quod est. Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur: ad se autem Deus dicitur.“ Et in idem recidit illud S. Cyrilli (Tom. 2, pag. 753, col. 1, edit. Paris., anni 1604): „Proprietates circa personas, non ipsae personae sunt“. Ergo nihil aliud est unaquaeque persona quam divina essentia existens in principio vel in termino communicationis suae primae vel secundae, juxta illud S. Anselmi (Prolog. XXIII): „Quod autem est singulus quisque, hoc est tota Trinitas simul, Pater et Filius et Spiritus Sanctus; quoniam singulus quisque non est aliud quam summe simplex unitas et summe una simplicitas, quae nec multiplicari, nec aliud et aliud esse potest“. Quid enim est quod multiplicari vel aliud et aliud esse non potest, nisi essentia? Ideo in Lib. de proces. Spiritus Sancti, cap. II, personam nomine substantiae designat dicens: „Quando substantia habet esse de substantia, duae fiunt ibi relationes insociabiles, si secundum illas nomina ponantur substantiae“. Ideo rursus in Monologio ait (cap. XLIII) quod Filius est essentia nata de Patris essentia. Recte ergo dicit Richardus a S. Victore (Lib. VI de Trin., cap. XXII): „Proculduduo nihil aliud est Patris persona quam substantia ingenua“. Iam vero, si personae singulae, non secus atque omnes simul, nihil aliud sunt quam simplex divinitatis essentia, sine difficultate intelligitur nihil in eis esse per quod ab invicem differant. Perfecto nihil habet Filius quod a Patre non accipiat: nec Pater generando Filium

aliquid sibi reservat: neque id quod Filio communicatur, diminutionem aliquam subit aut variationem. Et idem dicendum de processione Spiritus Sancti.

2. Ad objectionem — quid est, quod Filius non generat, sed solus Pater? — S. Ambrosius ita respondet (Lib. IV de Fide, cap. VIII, n. 81): „Generavit, inquit, Pater, non generavit Filius. Quod hic argumentum est inaequalitatis? Generatio enim paternae proprietatis est, non potentiae“. Quo autem sensu dicat, generationem paternae proprietatis esse, non potentiae, n. 90 declarat per haec verba: „Cur, inquit, Filius Pater non est? Quia et Pater Filius non est. Cur non iste generavit? Quia nec ille generatus est. Nec ideo minus habet Filius, quia Pater non est: nec Pater minus habet, quia Filius non est. Dixit enim Filius: *Omnia quae Pater habet, mea sunt*. Adeo generatio in paterna proprietate, non in jure est potestatis“. Porro cum ex verbis Domini, *Omnia quae habet Pater, mea sunt*, inferat S. Doctor generationem paternae proprietatis esse, non potestatis, vel, ut supra dixit, potentiae; aperte significat, hanc Patris proprietatem non in eo consistere quod virtutem generativam solus Pater habeat ratione personalitatis suae, sed in eo quod ex Patre natus est Filius. Potentiae enim nomine, cum non loquatur de operatione *ad extra*, sed de generatione Filii, significat generandi virtutem seu foecunditatem, et hanc a paterna proprietate distinguit. Ista quidem explicatione adhibita, et non aliter, rationabile invenitur quod ad quaesitum, *cur Filius Pater non est, vel cur Filius non generavit?* respondeat S. Doctor: *quia et Pater Filius non est, vel quia nec Pater generatus est*. Id est, cum unius divinae naturae unica generatio sit, non potest in eadem natura nisi unus esse genitus, unumque generationis principium: et secundum hoc ad quaestionem, *quare iste non generat*, recte responderetur, *quia nec ille generatur*. Non autem recte sic responderetur, si generandi virtus proprietatis esset personae, non naturae: in hac enim hypothese necesse esset respondere, *quia Pater, non Filius, foecunditatem habet ad generandum*, vel rationem paternae foecunditatis reddere oporteret. Quod ratio *genitoris* et ratio *geniti* nullam important inter utrumque intrinsicam differentiam, docet ipse S. Ambrosius per exempla fontis et fluvii, splendoris et lucis, dicens n. 95: „Non consistit igitur haec quaestio, quia aequalis Filius Patri ideo esse non possit quia Pater generavit Filium, Filius nullum ex se ipse generaverit. Nam et fons fluvium generat, et fluvius fontem ex se ipse non generat: et lux splendorem generat, non splendor lucem; et una natura est splendoris et lucis“. Nihil certe fluvio deest ad hoc, ut sit fons; nec tamen fons est: quare nisi quia non fons de fluvio, sed fluvius manat e fonte? Similiter ergo nihil Filio deest, ut ait Nazianzenus, ad hoc, ut sit Pater; nec tamen Pater est. Quare nisi quia, ut ait

S. Hilarius, non sunt ingeniti duo, sed natus est ab innato; *alter ab altero nihil differens, quia vita viventis in vivo est?* Licet enim operatio productiva principio ejus tribuatur, non termino, processione unius ab alio; vita tamen quae processionis est causa, absque ulla variatione vel differentia communicatur personae productae. Nec alia de causa persona prima Pater est seu generationis principium, nisi quia intellectio operatio prima est naturae divinae: omnis quippe operatio divinae naturae omni personae divinae indiscriminatim tribui debet, dummodo personam supponat existentem vel productam; et ideo Filius non est generationis principium, sed spirationis; quia personae hujus existentia non praesupponitur productioni per intellectum, sed productioni per voluntatem. Dicit praeterea S. Ambrosius (Lib. III de Fide, cap. XVI): „Qui dicit: *Omnia quae Pater habet, mea sunt, quid excipit quod non habet?*“ Ego autem insuper dico: non modo nihil excipit, sed per contextum Evangelii positive significat omnia se habere quae Patris sunt, etiam in genere foecunditatis. Postquam enim dixit de Spiritu Sancto (Ioan. XVI): „Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis“, immediate subjungit: „Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis“. Si enim ideo Spiritus Sanctus procedit a Filio, quia Filius omnia habet quae Pater habet; ergo Filius omnia habet etiam in genere foecunditatis: alioquin rationem praebens Dominus cur ab eo procedat Spiritus Sanctus, non omnia quae Pater habet, sed virtutem spirandi amorem sibi cum Patre dixisset esse communem. Denique, *Numquid ego qui alios parere facio, dicit Dominus apud Isaiam, ipse non pariam? si ego qui generationem caeteris tribuo, sterilis ero?* Atqui non solus Pater, sed tres personae, tamquam unus Deus, generationem creaturis tribuunt: ergo foecunditas in Deo non est proprietas alicujus personae, sed naturae. Et necesse quidem est ut productio creaturae effectus sit ejusdem foecunditatis qua in Deo multiplicantur personae. Nam productio *ad extra* non est necessaria; et consequenter, si virtus producendi *ad extra* distincta esset a virtute producendi *ad intra*, Deus compositus esset ex potentia et actu, siquidem creatura potest non esse, et ideo potuit non produci; virtus autem producendi in Deo non potest non esse in actu vel exercitio, quaevis namque potentialitas Deo repugnat. Cum igitur tres personae unum sint creaturae principium, oportet ut virtus producendi *ad intra* tribus communis existat.

3. Non ergo ideo Pater generat quia pater est; sed ideo pater est quia generat: non enim pater est, et non filius, propter aliquam intrinsicam differentiam inter eum et Filium, sed solummodo quia ex eo natus est Filius. Talis est doctrina S. Cyrilli dicentis (Thesauri lib. I): „Pater igitur est, quia generat: Filius, quia generatur. Et

id solum nominum usus istorum ex similitudine nobis significat. Si ergo in Deo Patris nomen generare solum significat, nulla ratio coget, Deum qui sine tempore generat, ante proprium Filium fuisse.“ Et Dialog. cum Hermia lib. I: „Nam Pater quidem pater, inquit, quia genuit Filium: Filius autem filius quoque, quia genitus est a Patre. Hujus rei gratia ego opinor, quamvis naturae divinae bona variis et plurimis dictionibus proferamus, licet ad parvam ejus notitiam venientes, nomen tamen paternitatis et filiationis non connumerarim cum illis, tametsi etiam alia recte et inculpate de utrisque dicantur“. Et ibidem: „Itaque comprobabis et corroborabis manifeste sermonem qui ostendit quod Patri *patris* nomen non sit dignitatis significativum. Neque etiam *fili* appellatio, quasi esset in utroque, sicut de vita, luce et aliis ejusdem ordinis dicere licet; sed manifestandum utriusque nomen, ut habet.“ Dignitatis ergo nomine significat S. Doctor entitatem vel perfectionem: ideo quippe negat, *paternitatem* vel *filiationem* esse nomen dignitatis, quia non significat aliquid commune Patri et Filio, qualia sunt significata nominibus *vitae* et *lucis*. Dignitatem autem quam paternitati, ut proprietati personae, denegat, foecunditati tribuit; et ratione foecunditatis ad generandum Filium dignius esse asserit in Deo nomen Patris quam nomen Dei. Scribit enim Thesauri lib. I, cap. VI: „Nam si Patris nomen non esset dignius in Deo quam ipsum nomen *Deus*, cur cum discipulos Salvator ad baptizandum mitteret, non jussit ut in nomine Dei et Filii et Spiritus Sancti baptizaretur? sed quasi majorem divinae naturae ostendens dignitatem, *in nomine Patris*, inquit, *et Filii et Spiritus Sancti*. Philippus vero, cum divinam curiose scrutari naturam vellet, *Ostende nobis Patrem*, dicebat; non, *Ostende nobis Deum*. Et ipse Salvator: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum*: non dixit, *et Deum*. Non enim minus, sed majus voluit genitori suo attribuere. *Pater* enim a majore atque digniore, hoc est, ex Filio intelligitur: *Deus* vero a creaturis, quae tantum distant a Filio quantum natura servus a natura Domino, et Creator a creatura. Ad haec, quamvis simul et Deus et Pater est; per prius tamen Pater est quam Deus. Quod Salvator ostendit, quando in coelos volebat ascendere: *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum, et Patrem vestrum; Deum meum, et Deum vestrum*. Vides hinc *Patrem* ad Filium dici, *Deum* ad creaturas. Si ergo creaturae secundo loco sunt post generationem Filii, per prius Pater est quam Deus, quod inde melius perspicietur. Nam dignitatem quam ipse Filius habet natura, ut videlicet Deus pater suus naturaliter sit, et nobis ex misericordia largiens addidit: *et Patrem vestrum*. Adoptati enim sumus per ipsum: ita Pater ejus secundum naturam pater noster per gratiam est. Nostra vero in seipsum assumens, et quae servorum sunt (quia servi formam accepit) sibi accomodans,

addidit: *Deum meum, et Deum vestrum*. Pater igitur ipsius secundum naturam est, noster autem Deus. Et quoniam per Filium facti sumus, per prius est Pater quam Deus, quamvis simul sit et Pater et Deus“. Non ergo sibi contradicit S. Doctor dicens in uno loco, nomen Patris non esse nomen dignitatis: in altero autem, dignius esse in Deo nomen Patris quam ipsum nomen Dei: sub diverso enim respectu ista dicuntur. Nomen Patris non est nomen dignitatis, quatenus significat personae proprietatem: est autem nomen dignitatis, quatenus paternitas includit naturae foecunditatem. Ideo ait S. Doctor, Salvatorem non jussisse ut baptizaretur in nomine Dei, et Filii, et Spiritus Sancti; sed ut majorem *divinae naturae* ostenderet dignitatem, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Porro Pater non generaret seu non esset pater, si non haberet foecunditatem: sed aliud est, foecunditatem esse in Patre; aliud vero, foecunditatem esse proprietatem Patris. Asserit quidem S. Doctor foecunditatem pertinere ad perfectionem Patris; verum illam non proprietati personae, sed naturae perfectioni adscribit. „Perfectus certe Pater, ait ibidem, in sua magnitudine invenitur; nec sanae mentis id quisquam negabit. Perfectus autem est, non solum quia Deus, sed etiam quia Pater. Quare qui Deum negat patrem esse, is foecunditatem aufert a divina natura, ut jam perfecta non sit, cum generandi virtute careat. Notio ergo perfectionis foecunditas est: et sigillum quod Patris ostendit perfectionem, Filius est qui ex Deo prodit Natura igitur inest Patri foecunditas; et ideo perfectus est, quia genuit“. Si ergo foecunditas, ut nemo non videt, perfectio est; paternitas autem (personae proprietas), ut dicitur in lib. I Dialog., perfectio non est; patet quod juxta S. Cyrillum non a proprietate habet Pater foecunditatem, sed a natura tantum. Itaque nomen Patris dignitatem significat secundum foecunditatem naturae, non secundum proprietatem personae. Non est ergo dicendum Filium non habere foecunditatem ad generandum, quia non procedit ab eo alius filius: ratio enim cur unus est in divinitate filius, unitas divinitatis est; unius enim vitae divinae unus tantum per generationem fructus existit. Neque dicendum est perfectionem foecunditatis aliter esse in Patre, aliter vero in Filio: nam praeterquam quod SS. Patres nullius generis differentiam inter personas admittunt secundum ea quae perfectionis rationem habent, absurdissimum est aliquam subire variationem id quod a Patre communicatur Filio; necesse enim est, propter divinam immutabilitatem ac simplicitatem, ut Pater et quidquid habet, communicet Filio, et quale sibi inest. Propter quod scribit S. Cyrillus de Filio (Lib. V Dialog.): „Quod autem sit in identitate per omnia cum Deo ac Patre propter naturalem effigiem, etiam substantiae in specie identitatem manifestabat dicens: *Qui videt me, videt eum qui misit me*. Quoniam autem Pater clare in Filio et absque variatione videtur et cogno-

scitur, communia quodammodo jam omnia ipsis, immo unius deitatis propria intelligantur merito in utrisque. Dicebat enim ad Patrem suum ac Deum: *Omnia mea tua sunt, et tua mea*. Nihil est enim quod imaginem cum suo exemplari et exemplar cum sua imagine diversa esse faciat, secundum quod in similitudine et in specie idem sunt“. Sic etiam S. Hilarius, proprietates distinguens, nihil differentiae inter personas esse docet dicens: „Et Pater pater est, et Filius filius est. Sed in his nominibus ac rebus nihil in se novum, nihil diversum, nihilque peregrinum est“. Rursus S. Cyrillus in Lib. adversus Anthropomorphitas, cap. XVIII, ait de Filio: „Est igitur idem natura cum Patre, divinum atque supermundanum germen. Discernitur tantum filiationis ratione. Neque enim est pater, quia neque ille filius“. Ad quaestionem ergo cur Filius pater non sit, respondet S. Cyrillus, sicut S. Ambrosius, quia nec Pater filius est: nonne autem ridiculum esset ita respondere, si in aliquo differrent Pater et Filius propter quod Pater posset generare, non Filius? Dum ergo dicit S. Doctor: *discernitur tantum filiationis ratione*, significat, in eo tantum personam secundam distinguere et differre a prima, quod a principio generante orta est, quoniam proprietates paternitatis et filiationis, ut ipse docet in lib. I Dialogorum, non sunt ex iis quae perfectionem important. Ideo in lib. II Thesauri, cap. III, dicit quamdam inveniri inter personas differentiam, sed quasi extrinsecus intellectam. „Cum igitur, inquit, non composita, sed simplex natura deitatis sit, numquam in plures personas distingueretur, nisi quaedam inveniretur differentia: non secundum essentiam, sed secundum relationem, et quasi extrinsecus intellecta, per quam utriusque persona in propria hypostasi constituitur, nec ab unitate deitatis propter identitatem naturalem potest excludi: et sic nulla confusio, nulla quasi mixtio Patris et Filii excogitari potest. Nam cum tanta similitudo, et perfecta identitas sit, ut nonnulli eundem Patrem et Filium suspicati fuerint, nec in dualitatem personarum distinxerint, ut hypostasim quae generat, et quae generatur, divina Scriptura notionibus distingueret, Patris et Filii nominibus usa est, ut lumen ex lumine in propria utrumque hypostasi recte intelligeretur, servata identitate substantiae“. In eo igitur differentia extrinsecus intellecta posita est, quod alius est qui generat, alius qui generatur; ita ut secundum quod alius est ex alio, distinguantur qui secundum id quod sunt, distinguere non possunt. Sicut autem personae relationem, ita et originem dicit ipse S. Doctor non constituere personam, seu substantiam non esse. Nam lib. II Dialog. haec scribit de nomine *geniti*: „Nam si terminus Filii secundum illos erit nomen *genitus*, et susceperimus vocem hanc substantiae significativam, eandem habebit rationem, secundum quod intelligitur *genitus*, cum omni genito. Innumera autem et vilissima quaeque, ut puta culices et mures, et adhuc

turpiora hucusque pertingunt“. Dum autem negat vocem *genitus* significativam esse substantiæ, nomine substantiæ personalem denotat entitatem Filii, dicit enim paulo ante: „Igitur optime dixerimus eis, et merito: si Filii naturam definit *genitum*, alteriusque naturae hac ratione, et alienum a substantia Patris; quid inde sequetur? stupenda quidem crimina, blasphemaeque opiniones, quae temere audeant substantiam Vnigeniti summam ad inferiora decutere, quamvis dicat manifeste ad nos tamquam factos: *Vos de infernis estis*; de sua autem subsistentia: *Ego de supernis sum*“. Denique lib. I Dialog., quamvis docet notionem personae divinae in mente nostra duplici conceptu constare, relationis nempe atque substantiæ; quoad rei tamen veritatem dicit relationem non esse ex iis quae personae insunt, seu quae perfectionem important. „Nam Pater, inquit, pater, et non filius, quia genuit: Filius autem iterum filius, quia genitus est. Age enim, si placet, parumper a Patre quod patris est, per imaginationem et sermonem amoveas; et iterum a Filio quod filii; o amice, quomodo nobis utriusque persona significari poterit? Itaque dum dicitur Deus, vel vita, vel lux, vel incorruptibilis, vel invisibilis, vel rex; inde non satis discernitur quid manifestetur. Verum enim de utroque, quod proprie utrique inest, quomodo evidentem manifestationem faceret? Solitarie autem et vere Pater significatur, dum intelligitur quod genuit: solitarie autem et vere Filius, dum intelligitur quod genitus sit. Itaque proprium alteri quod ejus et solius, quamvis alia indiscriminatim de eis dicantur. Illa enim in naturalium dignitatum ordine relicta sunt; ista vero non sic se habent, sed partim genitorem, partim genitum demonstrant“. Distinguit igitur in hoc loco S. Doctor inter proprietates paternitatis et filiationis et ea quae unicuique personae insunt. De his enim ait quod per ea personas non discernimus, dicens: „Verum enim de utroque, quod proprie utrique inest, quomodo evidentem manifestationem faceret?“ Immediate vero subjungens: „Solitarie autem et vere Pater significatur, dum intelligitur quod genuit: solitarie autem et vere Filius, dum intelligitur quod genitus sit“, evidenter significat, paternitatem et filiationem non esse ex iis quae personae insunt, sed in eo consistere quod alter genuerit, alter vero genitus sit; et ideo per eas nos personas distinguere. Propterea, postquam de iis quae personae insunt, dixit: „Illa enim in naturalium dignitatum ordine relicta sunt“, hoc paternitati ac filiationi denegat per haec verba: „ista vero non sic se habent, sed partim genitorem, partim genitum demonstrant“. Ergo per proprietates relativas distinguuntur personae distinctione numerica secundum quod una procedit ex alia: proprietates autem ipsae, ut idem auctor ait, circa personas, non ipsae personae sunt.

4. Nec aliter explicat S. Anselmus quomodo relatio in divinis sit causa distinctionis personarum. „Quoniam ergo unus, inquit, est Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, exigit unitas Dei ut Filius sit Pater, et Spiritus Sanctus sit Pater: sed obviat relatio, quae prohibet Filium aut Spiritum Sanctum esse Patrem“: et statim explicat quomodo obviat relatio, dicens: „Quippe nec natura permittit, nec intellectus capit, existentem de aliquo esse de quo existit; aut de quo existit, esse existentem de se. Existit autem Filius et Spiritus Sanctus de Patre: quare non potest Filius aut Spiritus Sanctus esse Pater“ (Lib. de proces. Spiritus Sancti, cap. III.). Non solum autem hanc distinctionis causam, S. Doctor assignat, sed aliam praeter hanc non admittit: dicit enim in eodem lib., cap. VI: „*Est quoque patens, eum (Spiritum Sanctum) per processionem habere esse de Patre, et per hoc alium esse a Patre: sicut Filius non per aliud est a Patre alius, quam per hoc, quia de illo existit. Est igitur Deus de Deo.* Per quod significatur relationem non esse causam distinctionis tamquam aliquid personae intrinsecum, sed quatenus importat processionem unius ex alio. Hanc esse mentem suam, cap. XV quoque ejusdem libri luculente ostendit dicens: „Cum enim Pater et Filius non differant in unitate deitatis; nec Spiritus Sanctus procedat de Patre nisi de deitate; si eadem deitas est Filii, nequit intelligi quomodo procedat de deitate Patris per deitatem Filii, et non de ejusdem Filii deitate: nisi forte quis dicat Spiritum Sanctum non procedere de deitate Patris, sed de paternitate; nec per deitatem Filii, sed per filiati- onem; quae opinio sua se patenti fatuitate suffocat. Quod si dicit, quia cum dico illum procedere de deitate Patris et Filii, non possumus deitatem Spiritus Sancti ab hac Patris et Filii deitate separare, quoniam una et eadem est deitas trium; et ideo sequi, si de deitate Patris et Filii procedit, de sua quoque eum procedere, et ob hoc Spiritum Sanctum de seipso procedere; ad hoc jam supra me sufficienter meminisse respondisse, quia nulla persona ex seipsa esse potest: nam sicut Filius, cum est de Patris essentia, quamvis non sit alia sed eadem Filii essentia quae est Patris, non tamen est de seipso, sed de Patre solo; ita Spiritus Sanctus, cum est de essentia Patris et Filii, quae est eadem illi, non tamen est de seipso, sed tantummodo de Patre et Filio“. Dicit ergo S. Doctor: 1. Spiritum Sanctum procedere de deitate Patris et Filii: 2. deitatem de qua Spiritus procedit, esse id quod est commune tribus personis; et idem esse principium Filii: 3. Spiritum non procedere de Patre nisi de deitate; per quod significat nihil esse in Patre unde procedat Spiritus, nisi deitatem, seu id quod est commune tribus personis: 4. Spiritum non posse procedere de seipso, quamvis procedit de eo quod est commune tribus; per quod distinguit essentiam divinam, ut una est, et ipsam essentiam ut existentem in prin-

cipio Spiritus Sancti, id est, in Patre et Filio; et praeterea Spiritus Sancti existentiam distinguit a duplici existentia sui principii: 5. fatuitatem esse opinari, Spiritum Sanctum non procedere de deitate Patris, sed de paternitate; per quod significat, nomine *deitatis* solam se indicare essentiam, exclusa nimirum proprietate personae: 6. denique hanc esse rationem distinctionis personarum, quia videlicet nemo producit semetipsum. Ergo sive persona procedens sive principium unde procedit, non est nisi divinitas vel essentia; quae non distinguitur quidem a seipsa, sed suppositum constituit in principio et in termino communicationis suae; et inde pluralitas personarum, quae nihil aliud sunt quam existentiae realiter distinctae unius et ejusdem essentiae. Ideo dicit Richardus (Lib. IV de Trinit., cap. XXII) quod persona divina est *naturae divinae incommunicabilis existentia*. Nec minori claritate eandem doctrinam S. Anselmus inculcat cap. XVI citati libri, ubi per derivationem lacus de rivo et fonte declarat quomodo procedit Spiritus Sanctus a Patre et Filio. „Diligentius, inquit, consideremus quomodo lacus sit de fonte pariter et de rivo; ut per hoc, sicut per temporale et locale aliquid potest intelligi quod aeternum est, cognoscamus Spiritum Sanctum esse de Patre et Filio. Multa enim in horum consideratione, sicut in Epistola ad venerabilis memoriae Urbanum de incarnatione Verbi scripsi, inveniuntur quae uni Deo et tribus personis per quandam similitudinem aptantur. Constat enim quod una eademque aqua est quae et fons et rivus et lacus dicitur, non tres aquae, quamvis tres sint fons, rivus et lacus. Discernamus itaque inter fontem, rivum et lacum, et videamus quomodo singula haec, cum tria sint, in una intelligantur aqua. In fonte quidem aqua de abyssu ascendens ebullit: in rivo de fonte descendens fluit: in lacum colligitur et manet. Per fontem ergo intelligitur aqua de abyssu ebulliens per rivum; quia de fonte fluit in lacum; quia simul ibi coadunatur. Videmus autem quia rivus non est de hoc unde aqua fons dicitur; sed de hoc quod est, id est, de aqua: nec lacus est de hoc unde aqua dicitur fons et rivus; sed de ipsa aqua, quae una et eadem est in fonte et rivo. Non ergo de hoc unde differunt fons et rivus, sed de hoc in quo unum sunt, lacus existit. Si ergo non magis fons est hoc unde lacus est, quam rivus; nequit intelligi lacus magis esse de fonte quam de rivo. Sic itaque cum dicitur, *Deus Pater* aut *Filius* aut *Spiritus Sanctus*, una in tribus intelligitur essentia et unus Deus, quod nomen est ipsius significativum essentiae: sed in Patre intelligitur gignens, in Filio genitus, et in Spiritu Sancto singulari quodam et ineffabili modo procedens. Quemadmodum igitur lacus non est de hoc unde diversi sunt ab invicem fons et rivus, sed de aqua, in qua unum sunt; ita Spiritus Sanctus non est de hoc unde alii sunt ab invicem Pater et Filius, sed de divina essentia in qua

unum sunt. Si ergo non magis est Pater hoc unde Spiritus Sanctus est, quam Filius; intelligi nequit cur magis sit de Patre quam de Filio“. Itaque aqua est divinitas: fons vero, rivus et lacus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Si ergo una et eadem aqua dicitur et fons et rivus et lacus; similiter una et eadem divinitas dicitur et Pater et Filius et Spiritus Sanctus. *Pater* quidem, quatenus existit antecederet (secundum ordinem operationum) ad sui communicationem, et in hac existentia constituit personam quae principium est generationis, vel a qua procedit persona altera per generationem: *Filius* vero, quatenus existit in termino communicationis suae per generationem, et in hac existentia constituit personam sicut in existentia principii: *Spiritus Sanctus* denique, quatenus existit in termino communicationis suae per spirationem, et in hac existentia constituit personam distinctam a principio spirationis. Eadem numero divinitas existit in principio et in termino; et secundum hoc divina essentia dicitur *communicari*, non *produci*: existentia autem divinitatis in principio non est existentia divinitatis in termino; et secundum hoc persona dicitur *produci*, non *communicari*. Sunt igitur divinae personae tres proprietates absolutae unius essentiae, tres nimirum incommunicabiles existentiae essentiae ipsius. Rursus si rivus non est de hoc unde aqua fons dicitur, sed de hoc quod est, id est, de aqua; ergo Filius non est de hoc unde divinitas Pater dicitur, sed de hoc quod Pater est, id est, de divinitate: et similiter, si lacus non est de hoc unde aqua dicitur fons aut rivus, sed de ipsa aqua; principium Spiritus Sancti non est nisi divinitas, ut existens in Patre et Filio. Ergo juxta S. Anselmum nihil Pater habet proprium per quod ipse solus generet; quia principium generationis est una vita vel essentia communis personis omnibus. Non enim aliud sunt personae singulae quam id quod est unum in divinitate, ut idem auctor docet Præslog. cap. XXIII dicens: „Quod est singulus quisque, hoc est tota Trinitas simul, Pater et Filius et Spiritus Sanctus; quoniam singulus quisque non est aliud quam summe simplex unitas et summe una simplicitas, quae nec multiplicari, nec aliud et aliud esse potest“. Ideo in lib. de proces. Spiritus Sancti, cap. XXII, eandem esse asserit (salva, ut supponitur, personarum distinctione numerica) identitatem Dei ad seipsum atque Patris ad Filium: ait enim de Filio: „Quoniam tamen sic habet esse de Patre, ut omnino idipsum sit quod Pater, et unus idemque Deus; sicut solus et simplex Deus non potest esse major vel minor seipso, nec prior nec posterior, nec aliquid in se habet diversum; sic Filius nec prior nec posterior, nec major nec minor est Patre, nec habet aliquid in se diversum ab eo; sed sicut habet ab illo perfecte esse, ita habet per omnia ab eodem aequale illi et simile, imo idipsum esse“. Ideo rursus cap. VI ejusdem libri non aliam esse dicit inter personas distinctionem quam quae con-

sequitur operationem productivam. *Est quoque patens, inquit, eum (Spiritus Sanctum) per processionem habere esse de Patre, et per hoc alium esse a Patre: sicut Filius non per aliud est a Patre alius, quam per hoc, quia de illo existit. Est igitur Deus de Deo.* Tam ergo patet quomodo idem auctor sit interpretandus dicens de Patre et Filio (Lib. de Incarn. Verbi, cap. III): „Hoc ergo modo nihil prohibet dicere, duas personas, Patrem et Filium, esse duas res; si tamen intelligatur cujusmodi sunt res: non enim sic sunt Pater et Filius duae res, ut in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes“. Non enim audebant Patres tres personas dicere *tres essentias*, sed ad inculcandam divinae essentiae unitatem pluralitatem personarum per proprietates earum, id est, per relationes vel per origines, significabant; et ideo declarans S. Anselmus loc. cit. quo sensu Pater et Filius dici possint *duae res*, cum in his duabus rebus non debeant intelligi duae substantiae, duas relationes dicit esse intelligendas. Hujusmodi ergo locutiones, qualis est etiam illa Boëtii: „Substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem“, non ad libitum legentis, sed ad mentem auctoris interpretandae sunt: multi enim ex catholicis scriptoribus hujusmodi phrases SS. Patrum ad vivum resecurunt, et ob inquisitionis defectum mentem eorum, quae in ipsorum operibus satis declaratur, non sunt assecuti. „Quando substantia habet esse de substantia, ait S. Anselmus Lib. de proces. Spiritus Sancti, cap. II, duae fiunt ibi relationes insociabiles, si secundum illas nomina ponantur substantiae“. Quibus in verbis notandum est: 1. quod nequit substantia habere esse de substantia, loquendo de Trinitate, nisi quatenus persona procedit de persona; substantia namque, ut sic, in Deo non producitur: unde nomine substantiae in citatis verbis auctor personam significat. Quod praeterea inde evincitur, quod secundum relationes nomina substantiae poni dicuntur. Porro persona est quae a relatione denominatur, non substantia, ut sic: ergo dum dicitur quod secundum relationes nomina ponuntur substantiae, clare significatur substantiam per seipsam constituere personam. Ideo sane dicit S. Doctor (Monolog. cap. XLIII) quod Filius est essentia nata de Patris essentia. Divinae namque substantiae, quatenus est generationis principium, convenit nomen Patris; et sub hoc respectu non concipitur ipsa ut substantia simpliciter, sed ut persona: et similiter ut generationis terminus, persona est, et habet nomen Filii. 2. Quod ex processione substantiae de substantia duae relationes insociabiles dicuntur fieri. Si relatio paternitatis praecogitaretur generationi seu, quod idem est, personam Patris, ut multi volunt, constitueret, non diceret S. Doctor: *Quando substantia habet esse de substantia, duae fiunt ibi relationes insociabiles, sed duae sunt ibi relationes insociabiles.* Relationes ergo fiunt, id est, consequuntur ex eo quod substantia habet esse

de substantia; et proinde relatio non praeintelligitur operationi productivae, sed est respectus unius personae ad alteram consequenter a productione. Quod confirmatur per exemplum, quo S. Doctor utitur, generationis humanae, in qua relationes operationem productivam evidentiter consequuntur. „Cum enim homo, inquit, est gignendo, de homine, dicitur homo de quo est homo, pater; et homo qui est de homine, filius. Impossibile igitur est, patrem esse illum filium cujus pater est; et filium esse illum patrem cujus filius est. . . Ita ergo in Deo, cum Deus sit Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; nec sit Pater nisi ejusdem Filii; nec Filius nisi ejusdem Patris; nec Spiritus alicujus nisi ejusdem Patris et Filii; Pater non est Filius aut Spiritus Sanctus; Filius non est Pater aut Spiritus Sanctus; nec Spiritus Sanctus est Pater aut Filius. Quippe quoniam Filius de Patre, et Spiritus Sanctus de Patre; nec ille de quo est aliquis, potest esse ille qui de se est; nec ille qui de aliquo est, valet esse is de quo est, sicut jam dictum est; idcirco nec Pater est Filius, aut Spiritus Sanctus; nec Filius, sive Spiritus Sanctus est Pater“. Tales ergo sunt relationes insociabiles, talis oppositio relativa, quae, non obstante unitate substantiae, obviat unitati personae. Ideo in eodem cap. II ait: „Nam cum dicitur Deus esse Pater, significatur esse de quo aliquis nascitur: et cum nominatur Filius, intelligitur esse qui de aliquo nascitur: et quando Spiritus Sanctus nominatur, quia non absolute spiritum, sed spiritum Dei intelligimus, monstratur esse qui de aliquo procedit“. Et cap. V rursus docet quomodo intelligenda sit in Deo relatio filiationis, dicens: „Filius per hoc est alius a Patre per quod est Filius ejus, quod non est aliud nisi quod de ipso existit nascendo“.

(Continuatio sequitur.)

Das Leben und die Werke von D. Beda Regaus, letzten Probstes von Afflighem, 1718—1808.

Von D. Vincent Coosemans, O. S. B., Afflighem.

Die alte Abtei Afflighem zeigte noch eine bedeutende Lebensfrische in dem Augenblicke, wo auch sie die zerstörende Hand der französischen Revolution erfahren mußte. Ungeachtet der Zeitverhältnisse, die von Tag zu Tag kritischer wurden, hatte sie einerseits die klösterliche Regularität bewahrt, andererseits ließen die materielle Restauration und das Aufblühen der Studien eine hoffnungsvolle Zukunft erwarten. Seele dieser Bewegung und gleichzeitig Hauptpersönlichkeit war der letzte Probst.¹⁾

¹⁾ Seit der Einverleibung der Abtei in die mensa archiepiscopalis von Mecheln (durch Bulle Pius' IV. vom 10. März 1561) war die Abtswürde dem